



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Aprilis. Remittere animum, quasi amittere est. Musonius.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Aprilis.

Tessera.

261

modò prona , sed præceps : itaque laberis cum labente, deficies cum deficiente, peribis cum pereunte. Quod si Deo adhærescas, non vivendo nisi in illo, in quo, & per quem omnes vivunt; propter illum, evades immobilis, velut Acroceraunia rupes, quæ mole sua stat. Sine Deo ruunt Gigantes, qui ut Ahenei montes videbantur, nullis machinis movendi: sine illo omnis nostra contentio in medio cursu frangitur. Ille, qui in se immobilis, dat cuncta moveri; dat & cuncta instabilia stare. Sine illo ergo nulla constat constantia. Illius enim (si Poetæ credis,)

*Virtutis munus prestare potest, Deus unus.*

## 7. DIES APRILIS.

Remittere animum, quasi amittere est.

*Musonius.*

Negligentia. I. **I**Nter Imprudentiæ vitia, non est ultimum, Negligentia, quæ cum animum operantem ad ferias cogit, & remittit; perinde est, quasi amitteret. Hæc disconvenit cum præcipatione, & Inconsideratione, quod illa duntaxat sit circa Consultationem, cum impetu susceptam; hæc verò circa solum iudicium de re aliqua oscitanter, & leviter obitum: Negligentia autem sit torpor voluntatis refugientis laborem suscipiendum, in vestiganda latente veritate agibilium. Quod dixit Hyginus de somno; nimirum ex Nocte, & Erebo satum esse; id æquius de Negligentia, & Torpore dixeris. Fætus gemelli

R 3

sunt



sunt monstrosi, ex Orco nati, in quibus unum grande, tumidumque est caput sine cerebro, nictantes oculi, putre pectus, manus adstrictæ, pedes propè nulli, inanes, & radentes humum cogitationes circumvolitant. Dedecori, & Ignominia quotidie litant, Magistro Epicuro gloriantur, protodidasculo satana, & pro symbolo gentilitio ferunt: *Nihil agere*; Negligentiam, Erebi esse pro sapiam, inde conijce, quod nihil magis sit repugnans Deo, quàm ignava, & somniculosa, & abhorrens à præstanti vitæ conditione cessatio. (a) In Deo enim inesse perpetuum motum, necesse est, inquit Aristoteles: unde qui tollit actionem à Deo, tollit ipsam Divinitatem, quæ fons omnium actionum est; cum ipsa actio, cura sit ipsius Dei: atque ut ita loquar anima unde & dicitur Actus purus.

II. Nunc autem sicut Deus est semper agens; sic in omnem, quam condidit naturam, motionem quandam, & impetum ad agendum inapressit, qui perenne testimonium est conditionis, & prædicationis Opificis. Hinc videmus, quæ in hac rerum universitate sunt perfectiora, & Deo viciniora; eo magis vim agendi, motumque participant, quadam veluti Divinitatis imitatione. Liqueat in Angelis, in quibus est jugiter agilis, vivida, & quietis expertis motio; ac indefessa, nec unquam interrupta operis functio. Moventur autem vel in orbem cum summi Boni, ac summè pulchri illustrationibus, principio, ac fine carentis conjunguntur: quæ est divinissima motio; vel directo eunt cursu, cum videlicet inferioribus consulendi causa, juvandique prodeunt, & recta omnia perficiunt. Hæc est pulcherrima po-

(a) L. 2. de cal. c. 3.



liria Angelorum ; à quibus cum discesseris , nihil invenies animo nostro angustius , & similius Deo : hinc in eo perpetua etiam motio animadvertitur . Unde Tullius ex Aristotele dixit : (a) *Animum esse , quasi continuam quandam motionem , & perennem* . Est verò tam proprium Animo moveri , ut ne in somno quidem , cum institium veluti quoddam est , quiesque justa , possit esse otiosus , nisi luxu , & intemperantia quodammodo constrictus , atque obrutus in abdomine consepeliatur . Maneat igitur certum , esse à Deo impressam in naturis rerum vim agendi , ut vestigium Divinitatis , omnia moventis , & excitantis , (b) *in quo vivimus , movemur , & sumus* .

III. Errant igitur , ut Deo quàm dissimillimi , homines desidiosè inertes , qui à corporis animique contentione abhorrentes , ut glires somno , & quiete pinguescentes , languidis liquefacti voluptatis in desidia consenescent : sic itur ad Orcum . Callis ad astra est salebrosus , & arduus . Deus laboribus omnia vendit , felicitatem maximè . Quo carius venit , eo carior venit salus : proponitur ut corona , certandum : est ut merces laborandum ; ut bravium , currendum . Quæ sine labore , non est sine periculo vita . Aquæ stagnantes facilè putrescunt . Otio fatigatur animus , juxta ac corpus nimia felicitate . Quid aje felicitate ? Nulla est in corporis voluptate , felicitas . Deus bone , quot inde mala ! in corpore , quot morbi , in animo , quot vitia ? Age , quid agimus pro promisso præmio ? Etiam unius horæ in cælo gloria , meretur æternitatem laborum . Inertia , meritum est tinea . Si desideas , necesse est continuò &

(a) 1. *Tusc.* (b) *Actor.* 17.



mareas, quia nihil merendo cogeris portare pondus diei, & æstus. Imò misericordiam, & profusam liberalitatem Dei compescit negligens: in maximos peccatores, Deus maximè est liberalis, & erga prodigos filios, tantum non prodigus est Pater: at erga negligentes, quasi avarus, & parcus: illis negat, quod aliis donat. Imò Deus, qui omnibus dat, à negligentibus aufert talenta, quæ dederat, aufert à pigro. Quid magis noxium, quàm quod non sinit, quatenus in nobis est, Deum beneficum esse? Quid magis malum, quàm quod Deum non sinit nobis esse bonum? Itaque fuge inertiam, & cum Deo operante operare, juxta vulgare merrum:

*Esto laborator, Deus est tunc auxiliator.*

## 8. DIES APRILIS.

Si quando fatuo delectari volo; non est mihi longè quærendum, me video. *Seneca Epist. 36.*

Astutia. I.

**S**equuntur jam Prudentiæ quædam veluti simiæ, ac imitatrices, cujus fucò, ac specie inani communtur, & larva teguntur. Has inter tenet primas, Astutia, quæ cum ad malum usum assumitur, & ob eum omnia molitur; non est, nisi personata prudentia, quæ vocatur *Prudentia carnis*, quæ est stultitia apud Deum. Nulla enim est imprudentia mentis, quàm prudentia carnis. Hanc si calles, fateor, es callidus: sed nec illud diffiteor, vel  
ideo